



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XX. De crimine Falsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

jurisdictioni Principum, in quorum terris degunt. Covar. l. c. num. 9. §. *Septimo*, Mol. num. 12. de Lugo cit. d. 24. S. 4. num. 70. Pirh. n. 167. contrarium tenentibus Azor. Clar. aliisque apud Barb. in c. h. t. in 6. n. 10. Alias adhuc pœnas aliquas jure statutas in usurarios vide apud Pirh. à n. 168. præter quas pœnas jure statutas etiam pœnis arbitrariis & extraordinariis puniri possunt usurarii à Judice, tam ecclesiastico quàm sæculari, præferim pecuniaria, ut in eo, in quo peccarunt, multentur. Tholof. L. 3. de usur. c. ult. n. 4. & 7. & per constitutiones Imperii mutantur amissione quartæ partis fortis, Gail. L. 2. obs. 4. n. 1. vel publicatione bonorum, Tholof. l. c. n. 8.

Quest. 373. Quis sit legitimus Judex criminis usuræ?

R Esp. Usura est crimen mixti fori, ita ut tam Laicus, quàm Ecclesiasticus de eo cognoscere & judicare possit, non solum ubi est quæstio facti, num hic & nunc commissum sit crimen, de quo liquidò constat, esse usuram, ut constat ex c. post miserabilem h. t. sed etiam, dum est quæ-

stio iuris, dum nimirum quæritur, num hic vel ille contractus sit usurarius, ut docent Farin. prax. crim. quæst. 8. n. 140. Covar. cit. n. 3. c. 1. Sylv. l. c. 9. in princ. Pirh. h. t. n. 14. Reiffenst. n. 194. contra Gl. in c. cum sit. de foro compet. V. malefactores. Clarum V. usura. n. 8. & quosdam alios; tum quia nullibi in jure canonico interdictum Laico Judici, cognoscere de usura in casu quæstionis iuris & in c. post miserabilem, sine distinctione inter quæstionem facti & iuris conceditur laico cognoscere & judicare de usura; tum quia crimen hoc non tantum juri ecclesiastico, sed & divino ac naturali advertatur. Neque esse solius fori ecclesiastici, probatur ex eo, quòd sit actus peccaminosus, de quo quàm tali cognoscere in quæstione iuris spectet ad solum Judicem ecclesiasticum; nam ad eum solum spectat generali definitione decernere, quæ sint, vel non sint peccaminosa. Quo non obstante potest quoque Judex laicus cognoscere, num hic & nunc hic vel ille actus sit iustus vel iniustus, canonibus & legibus contrarius, Reiffenst. l. c. n. 169.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

Quest. 374. Crimen falsi quid sit, quæ ad illud requirantur, & quot modis committatur?

R Esp. ad primum & secundum, falsum vel falsitas, strictè acceptum pro falso iuridico, est fraudulenta seu dolosa imitatio vel potius immutatio veritatis facta in præjudicium alterius. Auth. de instrum. cautela, colat. 6. Novell. 73. in princ. & ibi Gl. V. imitatio. juncta Gl. margin. Lit. G. Tholof. Syntag. L. 36. c. 1. n. 2. Haunold. Tom. 6. de f. & f. tr. 2. n. 174. Proinde ad falsitatem requiruntur tria. Primò: ut veritas pervertatur. cit. Novell. 73. Secundò: ut fiat dolo malo seu animo decipiendi alium. L. nec ad exemplum. C. ad leg. Cornel. de fals. ac proinde falsitas non committitur ab eo, nec punitur, & pro falsario non habetur, qui ex ignorantia vel errore veritatem immutat, falsum testimonium dicens. L. 31. ff. h. t. Tertiò, ut fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi id forè impediatur. L. qui falsas. & L. si falsos. C. de crim. falsi. Mascard. de prob. concl. 739. n. 12. Mol. tr. 2. de iust. d. 70. n. 3. Pirh. h. t. n. 1. horum trium uno deficiente non tenetur quis pœnâ huius criminis, cit. L. ne exemplum.

2. Resp. Ad tertium: Committitur falsitas principaliter modis quatuor, dicto, scripto, facto, usu. Hostiens. in sum. h. t. n. 2. Farin. pr. crim. p. 6. l. 5. §. 16. de falsitate. q. 150. n. 6. Mascard. l. c. n. ult. Damhoud. pr. crim. c. 119. Pirh. l. c. Wiestn. h. t. n. 3. de horum nunc singulis in particulari.

Quest. 375. Qualiter committatur falsum dicto seu verbo?

R Esp. Committitur dicto primò & potissimum per testes in iudicio falsum deponentes, vel verum supprimentes dolo malo. can. quisquis, 11. q. 3. L. 1. & L. falsi pœna, c. 1. h. t. ubi etiam, quòd falsidicus testis tribus personis est obnoxius, primò: R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

Deo, cuius omnium hominum actus & cordiur secreta intuentis præsentiam contemnit, Judici, quem mentiendo fallit, ut proinde ab eo, licet aliàs competens illius Judex non sit, extraordinariè puniri possit, L. nullum. C. de test. delicto ipsi jurisdictionem tribuente in delinquentem. c. fin. de foro comp. L. 1. c. ubi de crim. agi oportet. modò non sit incapax jurisdictionis respectu talis testis falsarii, ut est Judex Sæcularis respectu Clerici, qui ab eo nec intra nec extra iudicium delinquens puniri potest, c. cit. si Clerici. de iudic. Clarus §. fin. q. 38. n. 14. Covar. pract. c. 18. n. 8. Pachin. Contror. L. 9. c. 2. V. tertia. Postremò: innocenti, quem falso testimonio lædit. Est crimen publicum, ita ut quilibet de populo possit de eo accusare, etiam si suâ nihil intersit. §. item lex Cornelia de falsis Inst. de publ. iud. Mol. l. c. n. 2. Clar. §. falsum. num. 1. Item est crimen exceptum, & in generali remissione ac dispositione non comprehensum. Menoch. de arb. cas. 306. n. 11. Farin. l. c. num. 14. Dicitur autem verum supprimit, quando interrogatus super certo articulo dicit se nihil de hoc scire, vel quando iuravit, se veritatem dicturum, quod ad propositum scit, & tamen tacendo veritatem supprimit, secus, si simpliciter iuravit se ad interrogata responsurum, si non interrogatus taceret; tunc enim non tenetur crimine falsi. Abb. in c. 1. h. t. n. 3. Farin. pr. crim. p. 2. tr. de testib. q. 62. num. 230. (qui tamen id limitat, modò sine dolo tacuerit) Pirh. & Reiffenst. h. t. n. 4. Item veritatem supprimit, si interrogatus responderet, se non recordari; cum debeat verisimiliter recordari. Item si per malitiam ex dolo responderet versutè & obscurè. Farin. l. c. num. 224. Pirh. l. c. Reiffenst. num. 6. Secundò per eos committitur falsum, qui testem subordinant, vel donis aut pretio corrumpunt ad dicendum falsum testimonium, aut ad supprimentam veritatem, uti & qui utitur dicto falsi testis. Clar. §. falsum. n. 3. & 4. Pirh. l. c. Reiffenst. num. 5. non tamen per eos, qui donis, corrupti nihilominus contra dantem munera

Dd

depo-

deponunt, ut Mynsing, c. 6. Obs. 67. num. 2. Lauterb. ad tit. de leg. Cornel. de falsis §. 8. imò per eos, qui ad dicendam veritatem munera accipiunt, Lauterb. l. c. Tertio: per Judicem, qui pecuniâ corruptus, vel aliâ dolo malo contra leges vel constitutiones Principum fert sententiam. Arg. L. 1. §. sed est Index. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Quarto per Advocatum qui parti adversæ causam prodit, & qui vel propriis probationibus dissimulatis vel falsis exceptionibus aut probationibus partem adversam directè vel indirectè adjuvat. Haunold. Tom. 6. tract. 2. num. 180. Pirh. & Reiffenst. num. 8. Arg. L. 1. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de falsis. & L. 1. §. 1. ad S. C. Turpil.

Quest. 376. Qualiter committatur crimen falsi Scripto seu Scriptura?

1. **R**esp. Primò in genere: Falsum scripto committitur ab iis, qui testamentum aliudve instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subscripserint, vel signum adulterum sculperint, vel expresserint scienter & dolo malo &c. prout verboreus habetur §. item lex Cornel. de falsis. Inst. de jud. publ. & ibi AA. & latè Farin. pract. crim. q. 150.

2. **R**esp. Secundò: Sic itaque in specie falsum scripto committunt in extrajudicialibus, qui nomen vel cognomen, genus, parentes suos fraudulenter commutant. L. falsi. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Secus, si id faciant citra fraudem & præjudicium alterius; cum liberum sit libero homini, mutare nomen juxta expressam L. unic. C. de mutatione nominis. Item qui falsum titulum Comitum, Baronum, Doctorum, Militum, Notariorum, Stemma, Insignia vel Sigilla aliena sibi adscribunt alium decipiendi causâ L. 27. §. fin. ff. h. t. L. unic. C. ad leg. Visell. Lauterb. l. c. §. 5. qui tamen, ut quis ratione falsi tituli assumpti falsarius habeatur, requiritur, ut fiat cum effectu, ita ut quis eo præteritum actum dignitati huic convenientem seu similis personæ exerceat, solâ aliâ appellatione ad hoc non sufficiente. Item qui falsò allegant legem in perniciem alterius, quique signa adulterina, falsa Documenta, Attestationes, Chirographa, Rationes, Epistolas, Contractus, &c. conficiendo, producendo, libellum, vel rationes interdicendo, describendo, murando, veritatem immutant. L. 1. §. 4. L. 9. §. 3. L. 16. §. L. 23. L. 27. §. 2. h. t. Item manum alterius imitando. L. 23. ff. L. 13. C. h. t. falsis scriptis utendo. c. 7. h. t. L. 4. L. 8. eod. deposita adversariis prodendo, cit. L. 1. §. 4. Item curantes vacuas chartas sibi subscribi, & postea alterius manum imitando obligationem superscribi. Lauterb. l. c. Idem est de curantibus sibi scribi apocham, ac si depositum restitutum. L. 13. c. h. t. Item committitur falsum in testamentariis seu ultimis voluntatibus, dum quis in testamento vel codicillo in commodum suum sibi adscribit legatum, fideicommissum, &c. L. 1. §. 7. L. 14. L. 15. h. t. qui vivi testamentum aperit. cit. L. 1. §. 7. idque, etiam si hæres sit; hæres namque illius dominus non est, nisi post mortem testatoris, et si illud penes se habere possit. Grav. th. 16. ad tit. testam. quemad. aper. §. 1. Lauterb. l. c. §. 6. Item qui ultimam voluntatem & mentem testatoris quovis modo intervertit testamentum amovendo, celando, comburendo, delendo, superinducendo, mutando verba vel sigilla. L. 1. 2. 16. 30. ff. & L. 8. C. L. 4. C. h. t. Item in litteris Apostolicis (quo nomine censentur quæcunque rescripta, Bullæ, Brevia, tam justitiam quàm gratiam, v. g. provisiones beneficiales, dis-

penationes, indulgentias concernentia, quæ nomine Summi Pontificis expediuntur, & supplicationes eidem oblatæ, ab eo vel S. R. E. Vice-Cancellario, corumque vices gerentibus, aut de mandato Papæ signantur, non tamen Literæ S. Congreg. Cardin. S. Pœnitentiariæ, datarii Legati à latere, vel Nuntii à Sede Apostolica missi & similia, ut Nav. in man. c. 27. n. 62. Suar. de Censur. d. 21. S. 2. n. 45. Bonacin. de censur. d. 1. q. 7. p. 1. n. 1.) hæc inquam Literæ falsificari possunt; modi autem eas falsificandi enumerantur novem c. licet. h. t. quorum plerique consistunt in diversis artificiosis radendi dictas Litteras, vel in parte vel in toto, aut vera sigilla falsis Litteris appendendo; ob rasuram siquidem etiam tentem & modicam paucarum linearum in rescriptis Apostolicis factam in loco suspecto, veluti in narratione juris, in proprio & nominibus Judicum, in annotatione datæ vel indicationis juxta c. inter dilectos. de fide instrum. c. venerabilis. de religiof. domib. Literæ papales redduntur & probantur falsæ, Gl. in cit. c. licet. V. tennem. Et sic, si per rasuram & mutationem unius Literæ vel Syllabæ in Litteris Apostolicis immutetur sensus à Papa intentus, quia in iis asseritur vel negatur, quod ipse non intendebat, vel tacetur aut omittitur, quod ipse proferre intendebat, contrahitur pœna in falsariis decreta; quia gravitas huius peccati non in Litteris aut apicibus, sed in sensu mutato consistit. Suar. de cens. d. 21. S. 2. n. 46. Pirh. h. t. num. 16. Secus est, si rasura modica facta in loco non suspecto; quin &, si certum sit, rasuram esse factam à Cancellario, vel alio Officiali Curie, etiam in loco suspecto, non inducitur falsitas Abb. in c. ult. h. t. num. 4. Fagn. ibid. num. 6. in fine. Si verò constat, rasuram factam ab impetrante aut utente litteris Apostolicis tum radens est falsarius, et si rasura modica, cit. c. licet. & ibi Gl. V. tennem. & facta in loco non suspecto, & si sit nociva, false non. Abb. l. c. Fagn. num. 8. Pirh. num. 18. Ac denique si dubium, à quo facta rasura, tunc ea modica facta in loco non suspecto non reddit litteras falsas, c. ult. h. t. si facta in loco suspecto, in dubio præsumitur per impetrantem, seu utentem facta, uti &, si rasura et si modica, & loco non suspecto facta alienâ seu alterius manu, cuius non commissum, reddit rescriptum falsum, secus, si eadem manu, siue illius, qui scripsit litteras, vel cui commissum hoc ministerium; cum tunc non obstit rasura in quocunque loco facta. Host. in cit. c. ult. V. usuras. Abb. l. c. & ejus Glossator. Alex. de Nevo. Lit. C. Fagn. l. c. num. 19. in dubio autem, si rasura reperitur in loco suspecto facta, præsumitur scripta diversâ manu, & ideo reddit litteras falsas; secus, si loco non suspecto. Abb. l. c. Fagn. num. 20. De cetero dicta hæc de rasura procedunt, si Litteræ Apostolicæ redditæ sunt apertæ, secus, si clausæ; quia tunc non nocet rasura in quocunque loco facta. Abb. in cit. c. licet. V. tennem. Fagn. in c. ult. h. t. num. 21. Pirh. num. 19. nisi, ut Idem, character in loco rasuræ sit valde difformis ab alia scriptura & rasura magna. De reliquis modis falsificandi Litteras Papales vide Pirh. n. 9. & Reiffenst. num. 12.

3. **R**esp. Tertio: Falsitas committitur varie facta: Primo: à mercatoribus pondera & mensuras publicè probatas frumenti, vini aliarumque quarumcunque rerum corruptentibus. L. bodie. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Secundò: qui mercibus adulterinam minusve utilem materiam conjungunt vel admiscunt. Mol. d. 701. num. 1. Farin. q. 150.

9. 150. Pirh. *h. t. n. 45.* Reiffenst. *n. 16.* Ter-
tium: qui duobus in solidum eandem rem diver-
sis contractibus vendunt. *L. qui duobus. ff. falsi.*
Quartus: qui falsò se pro milite gerunt, titulos
honoris, vel status, v. g. Clerici, Sacerdotis, Do-
ctoris, Nobilis, Notarii falsò assument, si tamen,
ut dictum, de quibus *q. precedent.* aliquos actus
competentes talibus personis exercent, aliàs potiùs
adscribendi falsariis ex scripto. Farin. *cit. q. 150.*
n. 85. & 87. Pirh. *l. c.* Quintus: qui insignibus
utuntur illicitis, vel alienis. *L. eos, qui L. unic. L. de
mutat. nom.* Sextus: qui diplomate & commen-
datitiis falsis vias commeanet. Septimò: qui pro-
posita edicta dolo malo corrumpunt. *cit. L. hodie.*
Reiffenst. *n. 20.* Octavò: qui partem alienam
alicui supponunt, fingendo illum esse filium illius.
L. 10. c. h. t. l. 1. ff. de agnoscend. liber. quo etiam
spectat personæ unius pro alia suppositio in testa-
mento, contractu, iudicio. Lauterb. *l. c.* remit-
tens ad Menoch. *de arb. cas. 218.* Nonò: in re
monetaria vel maximè committitur falsitas, &
quidem iuxta ordinationem crim. Caroli V. a. 3. tri-
bus ferè modis, sicut enim ad veritatem monetæ re-
quiruntur tria, materia, forma, pondus, ita & con-
tractuorum singula committi potest falsitas. *L. 9. ff.
h. t. l. 1. c. de veter. numism.* Circa formam
committitur primò: dum quis monetam cudit,
non habens potestatem cudendi eam, tametsi
cæteròquin probam materiam, justumque pondus
adhibeat. Clafen. *ad Ordinat. Caroli V. a. 3. p.
380. n. 4.* Carpz. *pr. crim. q. 43. n. 18. & seq.*
Wiestn. *h. t. n. 18.* Reiffenst. *n. 21.* Lauterb. *h.
t. §. 13.* siquidem spectat hæc potestas ad formam
publicam monetæ, quâ illa destituta falsò fingitur
justa, competit autem ea potestas autoritate pro-
pria cudendi monetam non nisi supremis Principi-
bus, vel Magistratui Superiorem saltem in tempora-
libus non recognoscenti, utpote ad quos cudere
monetam tanquam jus reale spectat. Feudor. *L. 2.
tit. 56. c. 1.* Secundariò tamen etiam ex speciali
jure seu privilegio, vel temporis immemorialis
præscriptione aliquibus Comitibus & Civitatibus
Imperialibus. Secundò: qui quidem potestatem
cudendi monetam habent, alterius tamen Principis
vel Status signum monetæ aliàs quò ad materiam
legitimam imprimunt. Lauterb. *cit. §. 13.* Pirh. *h.
t. n. 43.* juxta Extrav. Joann. XXII. *prodiens. h. t.*
Circa materiam monetæ committitur falsitas ab iis,
qui monetam adulterinam cudunt, finguntque ex
materia falsa, v. g. cupro, vitro, stanno, vel talem
materiam falsam materia legitima admiscunt, vel,
qui nummos falsos ita tingunt, ut aurei vel argentei
appareant. *L. 9. ff. ad Leg. Cornel. de falsis. L. qui-
cunque. ff. eod. l. 1. & 2. c. de falsa monet.* Clar.
§. falsum. n. 37. Huc reducitur confectio auri &
argenti Arte Alchimicæ; quidquid enim sit de hoc,
num verum aurum dictâ arte confici possit, ut cum
Alberto in *L. 3. mineral. c. 9.* defendunt Delrio
L. 1. Disquis. magic. c. 5. §. 4. & alii, qui huic
sententiæ innixi monetam ex tali auto citra crimen
falsi cudi, & nequaquam monetæ annumerari posse
tenent, contrarium, sive confectioem veri auri
humanâ arte superiorem esse tenentibus cum D.
Thom. in *2. dist. 7. q. 3. a. 1. ad 5.* Comitoli. *L. 3.
resp. moral. qq. 33. n. 2.* & aliis; quidquid, inquam,
sit quò ad controversiam hanc, tale aurum confici,
eòque uti, ac præcipuè ex eo cudi monetam sub
gravissimis pœnis, (puta infamix, & si Clericus,
sub privatione beneficiorum, & inhabilitate ad eam-
dem) prohibet Joannes XXII. in Extrav. *spondenti.*

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. V.

h. t. inter Commun. & merito ob periculum falsi,
difficultatem maximam, ac imperitiam, si non im-
possibilitatem, nec non ob non paucorum priva-
tum, & publicum damnum & delusionem, dum ob
exiguam fictitii auri particulam veri argenti pluri-
mum decoxerunt. Sanch. *L. 2. mor. c. 40. n. § 1.*
Comitol. *l. c.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *n. 21.* Reiffenst.
n. 24. Circa pondus committitur falsitas, justum
pondus tendendo, excoquendo, radendo, scindendo,
mutilando, aliòve modo diminuendo. *L. qui-
cunque. ff. ad Leg. Cornel. de falsis. & ibidem Lau-
terb. §. 13.* ubi etiam, quòd nequidem monetam
justum pondus excedentem reducere liceat, pro
quo citat Menoch. *de arb. cas. 316. n. 38.*

Quæst. 377. Qualiter crimen falsi com-
mittatur usu, vel potius abusu?

Resp. Dum quis scienter utitur falsitate ab aliis
confictâ, v. g. qui nomen, cognomen digni-
tatis, familiæ alienæ insignia falsò sibi ab aliis adscri-
pta in sui commodum, vel alterius præjudicium do-
losè usurpant. *L. falsi. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.*
junctâ *L. unic. c. de mutat. nom.* Farin. *l. c. q. 150.
& n. 138.* Item qui leges & constitutiones diplo-
mata falsificata allegant. *L. fin. ff. eodem.* item qui
testimonium vel instrumentum, scriptum falsum
in iudicio proferunt, & vel maximè, qui monetam
adulterinam colligunt, & expendunt scienter & do-
losè, Wiestn. *h. t. n. 23.* Reiffenst. *n. 25.* cum com-
muni. Item qui nummos peregrinos & reprobato-
ros important & expendunt, vel qui justis ponderis
& monetæ ad peregrinos mittunt, ut deteriores fa-
bricentur. Mev. *p. 2. decis. 267.* Lauterb. *cit. §.
13. in fine.*

Quæst. 378. Qua pœnâ committentium
crimen falsi?

1. Resp. Primò in genere: Olim pœna ordina-
ria committentium crimen falsi quò ad no-
biles erat deportatio cum omnium bonorum publi-
catione; quò ad personas viles damnatio ad metal-
lum, quò ad servos ultimum supplicium, *L. 1. §.
fin. ad Leg. Cornel. h. t. l. si quis. §. 7. ff. de pœnis.*
hodie verò ex arbitrio Judicis prudentis pro diver-
sitate circumstantiarum imponitur pœna. Gl. in
cit. c. 1. §. fin. v. eorum. aded, ut ea quandoque
esse possit pecuniaria, quandoque corporalis, etiam
capitalis. *L. ubi falsi. C. ad Leg. Cornel. h. t.* sunt
hæc pœnæ variæ pro diversitate criminis falsi; unde
2. Resp. Secundò, in specie: In crimine falsi
commisso dicto, primo falsi & calumnioli testes in
iudicio deponentes falsum, de jure civili puniuntur
eàdem pœnâ, quâ alii falsarii, ex ordinatione tamen
Caroli V. in causa civili cum juramento dicens
falsum, præterquam quòd teneatur ad restitutionem
omnis damni inde parti læsæ secuti, & insuper juxta
consuetudinem receptam amputantur ei duo digiti,
quos in præstatione juramenti contra Deum erexit,
in criminalibus verò pœna talionis, sive ea, quâ pu-
niretur reus, si contra eum verè probaretur deli-
ctum. *L. 1. §. 1. h. t. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.
& ibi Brunnem. n. 3. ordin. crim. a. 68. & 107.
& 19. Dan. c. 6. v. 24.* & licet in aliis pœna talio-
nis regulariter sublata sit, idem tamen non ubivis
de crimine falsi dicendum. Grav. ex Millæi *pract.
ib. 38.* Theodoric. *criminal. c. 7. aphor. 6. n. 20.*
Gilh. quos citat & sequitur Lauterb. *l. c. §. 11.* De
jure verò canonico testis quicumque, sive Clericus,
sive Laicus in iudicio, sive civili, sive criminali fal-
sum

sum committens est infamis per *can. constituimus*. 9. 9. 1. Clericus insuper falsum in quocunque iudicio committens deponi, & in monasterium detrudi iubetur per *can. si quis Episcopus*. 7. dist. 50. vel ad triremes, perpetuos Carceres damnandus, quæ damnatio hodie detrusioni in monasterium olim consuetæ succedit, ut Fagn. *inc. cum non ab homine*, de *Judic.* n. 104. Farin. *pr. crim.* 9. 119. n. 55. apud Reiffenst. *h. t.* n. 28. quæ tamen ordinaria pœna Clerici testis falsi limitatur, & in arbitriam reducitur, casu, quo non nisi circa accidentalialia, vel sine præiudicio tertii falsum committitur. Clar. §. *falsum*. num. 9. & 35. Menoch. *de arb. cas.* 306. n. 22. apud eundem num. 29. Secundò: Iudicis iuxta dicta *quæst. ante hanc* 4. falsum committentis specialis pœna olim erat exilii vel capitis, per *L. Lex Julia*. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. reperiund.* hodie pro diversitate circumstantiarum, tam Iudicis, quàm partis ejus sententiâ læsæ est privatio officii & dignitatis, inhabilitatis ad iudicandum, confiscatio bonorum, vel etiam exilii & capitis. Farin. *l. c.* 9. 111. à n. 4. Menoch. *l. c. cas.* 342. à n. 7. Iudicis etiam ecclesiastici, qui contra conscientiam & iustitiam, prece, pretio, præmio, gratiâ, odio in gravamen partis iudicavit, præter ordinariam & compensationem damni illati est suspensio à divinis. *c. 1. de sent. & re iudic. in 6.* & 160. Barb. & Laym. à n. 3. Tertio: Advocatus committens falsum iuxta *cit.* q. 4. præter obligationem restituendi damni, & pœnam ordinariam arbitrio Iudicis pro diversitate circumstantiarum puniri potest vigore *Ordinat. Caroli V. a.* 115. fustigatione, carcere, numellis, relegatione. Haunold. *de 7. & 7. Tom. 6. tr. 2. n.* 180.

3. Resp. Tertio: Committentes crimen falsi scripto varias pœnas incurrunt, ac imprimis gravissimæ statuuntur ob criminis atrocitatem pœnæ ecclesiasticæ Litterarum Apostolicarum propriè talium falsariis. Primò: excommunicatio Papæ reservata, ipso facto incurrenda statuitur, etiam Laicis in *c. ad falsariorum*. *h. t.* juncto §. 6. *Bulle Cæna*. Similem excommunicationem ipso facto, non tamen Papæ reservatam incurrunt ejusmodi falsariorum fautores & defensores. *cit. c. ad falsariorum*. ut *ibi* notant Barb. n. 4. Fagn. n. 24. Clerici falsarii dictarum litterarum insuper omni officio & beneficio ecclesiastico perpetuò privantur, & si falsi crimen per se exercuerint, degradandi & tradendi sunt curiæ sæculari, ab ea non secus, ac Laici falsitatis convicti secundum leges puniendi. *cit. c. ad falsariorum*. quin &, si litteras Apostolicas falsas, etsi à se non falsificatas, scienter impetrant, illve utantur, ipso facto excommunicantur, &, si Clerici, officii & beneficii spoliandi sunt. *cit. c. ad falsariorum*. & *ibi* Barb. n. 16. Fagn. n. 54. Item qui tales litteras ab aliis falsificatas se habere sciunt, easque intra 20 dies non destruunt, vel resignant, excommunicationi per sententiam ferendæ, & postquam ea lata, Papæ reservatæ obnoxii sunt, etiam si illis non sint usi, aut animum iis utendi non habuerint. *c. dura*. *h. t.* Barb. *ibid.* n. 2. Procederè que has pœnas, si sensus harum litterarum immutetur falsificatione, licet nullum aut solum damnum leve oriatur, probabiliùs sentiunt alterius. *L. 2. d. 7. c. 2. §. cum enim*. Bonac. *de censur. d.* 1. q. 1. p. 2. n. 5. Castrop. *tr. 29. d. 3. p. 7. n. 4.* Wiestn. *h. t.* n. 13. Reiffenst. n. 33. quia falsificatio hæc sub dictis pœnis prohibetur, non tam propter damnum inde secutum, quàm propter contemptum & injuriam supremæ authoritati, à qua proveniunt,

illatam, & ut omnis occasio falsi in iis evitetur. AA. cit. Non tamen committi propriè hoc crimen falsi, & consequenter non incurri prædictas pœnas, si quis litteras Apostolicas iuxta mentem Papæ corrigat, dum v. g. in supplicatione facta pro dispensatione impedimenti matrimonialis *affinitatis*, loco illius per errorem à Notario positum: *consanguinitatis*, aut pro Diœcesi Trevirensi positum: *Coloniensi*, probabiliùs videntur sentire Sayr. *L. 3. Thesau.* c. 30. n. 12. Bonac. *l. c. n. 7.* Castrop. *l. c. n. 5.* contra Suar. eò, quòd talis correctio potius tollat falsum, reddatque litteras veras, neque etiam importat eorum immutationem respectu Papæ, utpote cujus intentioni & concessioni videtur conformis. Quamvis tamen AA. cit. ut Wiestn. *h. t.* n. 16. bene moneant, cavendum, ne hujusmodi correctio facili fiat propriâ autoritate, sed si potest, fiat per Officiales & Notarios Curie.

4. Resp. Quarto: Committentes crimen falsi facto diversis quoque pœnis afficiuntur, & quidem loquendo de præcipuis eorum. Primò: mensuram & pondera publicâ autoritate statuta falsificantes præter pœnam ordinariam falsi ad duplum restituendum, nec non ad Insulam deportandi damnantur. *L. hodie*. §. 1. *ad Leg. Cornel. h. t.* & insuper pœnitentiâ in pane & aqua agenda plectuntur. *c. ut mensura. de empt. & vendit.* Secundò: falsum partum supponentes damnantur ad ultimum supplicium. *L. 1. c. ad Leg. Cornel. h. t.* ubi dicitur, pœna suppositionis partus esse capitalis, quod tamen in lata significatione, nempe pro deportatione accipiendum, quæ hodie mutata sit in fustigationem vel relegationem, cum Carpz. *pr. crim.* 9. 29. & 30. ait Lauterb. *h. t.* §. 5. Cujus criminis accusatio, etsi solis parentibus, & quorum interest, competat. *L. 30. §. 1. ff. L. 10. C. b. t. liberi* tamen de hoc matrem non nisi civiliter accusare possunt. *L. 5. c. h. t. L. 11. ff. de accusat.* qualiter verò partus suppositus probetur, Lauterb. *l. c.* remittit ad Theodoric. *in crim. Aphorism. 2. num. 3.* Tertio: præcipuè corruptores & falsificantes monetam pro varietate modorum adulterandi materiam illius variis puniuntur pœnis; & imprimis eudentes scienter monetam Imperialem, Imperique Statuum, sive minoris, sive majoris valoris ex falsa seu adulterata materia, puniuntur igne, prius tamen strangulati, & omnes illorum facultates ad dicuntur fisco. *L. 2. C. de fals. monet.* Lauterb. *l. c.* §. 12. Pirh. *h. t.* n. 61. Reiffenst. n. 35. quam legem etsi Gl. *ibid. v. unanimis.* intelligendam vellet de nummis tantum aureis, generaliter tamen illam loqui de nummis falsis, asserunt Mol. *de just. tr. 2. d. 702. n. 1.* Pirh. *l. c.* & alii communiter. Eandem pœnam ignis incurrere adjuvantes in falsa moneta ex parte materiæ cudendo, eisque faventes & concedentes ad hanc operationem ædes suas aut prædium, per *L. 1. juncta. 2. C. de fals. monet.* tradunt Mol. *l. c.* Pirh. n. 62. cum hoc crimen sit species quædam læsæ Majestatis, ut Lauterb. *l. c.* addens, ædes illas fisco vindicandas, juxta *L. 1. C. de fals. monet. & ordinat. crim. a.* 111. quamvis in Imperio Romano monetam peregrini Principis adulterantes & expedentes hodie non pœnâ ignis, sed gladii plecti, testetur Lauterb. uti & dicto modo falsificantes monetam minoris valoris, Grav. *ib. 45. & 46.* citatus ab eo, ac denique spectandum, num talis monetarius id fecerit in summa paupertate, vel etiam pœnitentiâ ductus non absolverit operationem suam, ita, ut tunc mitius puniatur. *L. 19. ff. h. t.* uti etiam Carpz. *pr. crim.* 9. 42. n. 28.

num. 28. & seq. in foro Saxoniz distinguendum dicit, num quis ipse cuderit & expenderit, num cuderens non expenderit, an expenderit ab alio cufam, & in primo casu, igne; in secundo, gladio; in tertio fustigatione puniatur. Idem de afficiendo ultimo supplicio eum (si mancipium sit) qui rondendo & radendo monetam, pondus diminuit, vel auro tingit, ut aurea appareat, dicit Pirh. l. c. citans L. quicumque. ff. ad leg. Cornel. h. t. Tertio: eadem pœnâ, quâ punitur cuderens monetam adulterinam ratione materiæ, punitur, qui destitutus potestate cudendi, eam propriâ autoritate cudit, asserit idem cum Gl. in L. 2. C. de fals. monet. v. obnoxii. Covar. de collat. vet. numism. c. ult. n. 3. §. is verò. Fatin. cit. q. 115. num. 20. Quarto; qui monetam falsam expendit sciens, si ea plumbea est vel stannea, incidit in pœnam ordinariam leg. Cornel. de falsis. quæ habetur L. 1. §. fin. ff. de fals. monet. si autem sit alterius metalli, ærea, argentea, aurea, & non appareat, quod sint nummi plumbei vel stannei, pœna extraordinaria arbitrio Judicis imponenda. Arg. L. lege §. 2. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Covar. l. c. n. 4. Mol. l. c. d. 702. num. 9. Clarus §. falsum. n. 38. Fatin. l. c. n. 132. & 134. quos citat & sequitur Pirh. h. t. num. 41. in fine. Ad hæc jure canonico per Extrav. prodens,

unicam Joann. XXII. h. t. excommunicationis (intelligemajoris) sententiam, à qua non sunt absolvendi, præterquam in articulo mortis, ipso facto incurrunt; qui nullam habentes auctoritatem juris, vel consuetudinem vel privilegium cudendi monetæ, in Regno Franciæ aliisque locis circumvicinis scienter falsificant in ære seu materia, vel signum proprium suæ monetæ (dum nimirum iis de jure vel consuetudine aut privilegio jus cudendi monetam competit) insculpunt & imponunt monetæ Regiæ, vel qui injusto pondere monetæ depravant, vel scienter falsas monetæ extra prædictum Regnum emunt, easque postea in dictum Regnum important, vendunt & expendunt, quam tamen constitutionem solum loqui de Regno Franciæ, ejusque pœnam in falsarios monetarum in aliis regnis non extendendam, ait Gl. in cit. Extrav. v. ad Regnum prædictum. De cætero Alchimitarum, qui aurum vel argentum Chemicum conficiunt, vel fieri mandaverint, aut facientibus illud ministraverint, vel auro & argento ab iis confecto scienter usi fuerint, vendendo, emendo, vel dando in solidum pœnæ in Extrav. Spondent. unic. h. t. inter communes statuta à Joann. XXII. ut cogantur tantundem auri vel argenti veri, quantum fuerit Alchimicum in publicum pauperibus erogare.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Quæst. 379. Sortes seu Sortilegium quid & quotuplex?

R Esp. Sortilegium seu Sortium missio est adhibito & observatio rerum quarundam veluti signorum facta eo fine, ut, quid hic & nunc faciendum vel futurum sit, vel quod occultum est, innotescat. Ita ferè ex D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. in corp. Azor. Inst. mor. p. 1. L. 6. c. 21. & alii. Pro varietate signorum & rerum, per quas exercetur, variè dividitur & nuncupatur, ut ex Bordano Tom. 1. resol. 4. n. 11. refert Reiffent. h. t. num. 6. ita ut, si fiat per terram, sit & dicatur Geomantia; si per aerem, Aeromantia; si per aquam, Hydromantia; si per ignem, Pyromantia; si per animalium interiora, Haruspitium; si per avium volatum, Auspicium; si per avium garritum & voces, Augurium; si per pedum inspectionem, Pedomantia; si per inspectionem manuum, Chiromantia; si per hominum voces, omen; si per vivos arreptos; Phylonia; si per corpora mortuorum assumpta, Necromantia; si per inspectionem Astrorum, Astrologia judiciaria; si per signa frontis, Metoposcopia. Communis verò ex triplice fine, in ordine ad quem assumuntur, dividuntur Sortes in divinatorias, consultatorias & divlorias. Divinatoriæ dicuntur, quæ adhibentur aut observantur ad occultum quid vel futurum cognoscendum, quale Sortilegium sumitur passim pro ipsa divinatione. Consultatoriæ sunt, in quibus inquiritur & exposculatur Dei vel dæmonis voluntas, quid faciendum, omitendum, seu cavendum sit. Divloriæ sunt, per quas quaritur, quid cuique, sive in bonis communibus, sive honoribus, sive in publicis officiis tribuendum, cum idem indivisim pluribus competere nequeat; ita Less. L. 2. de Inst. c. 43. du. 9. num. 57. Sanch. L. 2. moral. c. 38. num. 56. Pirh. h. t. num. 1.

Quæst. 380. Num licitum sit uti Sortilegiis divinatoriis?

R Esp. Sortilegium divinatorium omne illicitum, & jure canonico sub gravissimis pœnis prohibetur. Can. Sortes. Can. Episcopi. Can. si quis Episcopus. 26. q. 5. Quia, dum istiusmodi res & signa de se & ex natura sua neque ex promissione aliqua divina connexionem habent cum eventu futuro, vel detectione rei absconditæ, sunt medium ad talem finem assumptum vanum, improporionatum & superstitiosum. Unde dum sæpius eis adhibitis occulta manifestantur, v. g. quis furtum vel homicidium commiserit, aliisque effectus speratus sequitur familiaritatem vel pactum aliquod cum dæmone, ejusdemque saltem tacitam invocationem, ut Sortes regat & occulta manifestet, iisdem contineri merito censentur. Less. l. c. num. 61. Sanch. l. c. c. 38. n. 88. Suar. Tom. 1. de Releg. L. 2. c. 12. num. 28. Castrop. tract. 17. d. 1. p. 6. n. 12. Pirh. h. t. num. 3. Contineri quoque sæpe in illis fortitionibus divinatoriis præter superstitionem alia gravissima crimina, v. g. injustitiæ, dum ad cognitionem criminis occuli adhibentur, dum ob periculum, quod Sors in innocentem cadat, notant Suar. l. c. n. 29. Sanch. cit. c. 38. in fine. Castrop. l. c. n. 13. Non tamen videntur comprehendi his conjecturæ, dum hæc desumuntur ex signis quibusdam naturalium connexionem habentibus cum rebus futuris.

Quæst. 381. An & quando liceat uti Sortibus seu Sortilegiis Consultatoriis?

R Esp. Per se licitum esse per Sortes tales in accipiti aliquo negotio explorare divinam voluntatem, implorareque illius in illo directionem, aut veritatis alicujus manifestationem, si modo debito hæc fiant, nimirum urgente necessitate cum debita Deo reverentia, & ex speciali Dei instinctu; cum his conditionibus positis in adhibitione